PRO SOLEMNI STUDIORUM AUSPICATIONE IN ALTERA ACCADEMIÆ...

Girolamo Bobone

PRO SOLEMNI

STUDIORUM AUSPICATIONE

IN ALTERA ACCADEMIÆ APUD HETRURIAM PARTE

ORATIO HABITA

A P. HIERONYMO BOBONE

ORD. PRÆD.

LINGUARUM ORIENTALIUM ET GRÆCÆ

IN THEOLOGIÆ

facultate Professore

SENIS

EX ARCHIEP. TYPOGRAPHIA JOANNIS BARONI

ad Signum Lupae

1852.

Cum absolutis superioris anni Accademicis exercitationibus otium mihi esset ac inter familiares meos dulcissime vitam ducerem, inopinato optimi Principis decreto mandatum mihi est; vobis, sapientissimi Patres, ac in frequenti conspectu vestro, nobilissimi Cives, in solemni hac Studiorum Instauratione verba proferre.

Perhonorificum a Principe munus mihi concreditum prope dejectae spei erigundae causa fuit. At vero timorem apud animum excitavit; eo quod omnium minimo provincia haec demandata fuerit cui et dicendi copia, scribendi concinnitas, exquisita eruditio, doctrinae altitudo desint, valdeque mihi suadeo in hac palestra periclitari. Me ipsum profecto measque vires, eos ex adverso noveram quibus de re literaria instauranda promovendaque loquuturus essem; etenim obliteratus pene mos latine scribendi, ac hujus idiomatis exercitatio obsoleta apud studia nostra, salebrosam quam maxime orationem vel solertissimo cuique reddunt.

Accedit Antecessoris nuper vita functi eloquii, ac styli elegantia, longe maxima, quem sicut honoris causa nomino, sic ejus me terret eloquentia, cum mor-

tales ita animo comparati sint, ut meliora expetant a novis hominibus aut saltem aequalia.

Verum licet facundiam, aut verborum ornatum dispositionem varietatemque me assequi non existimem, potius quam styli paludamento ut ita loquar, rebus gravissimis, scientiarum incremento, societatisque bono apprime necessariis indulgentiam vestram consequi nitar. Etenim in tanta versamur rerum ac doctrinarum tergiversatione, ut maximi momenti negotium sit explorare, atque constituere, qua ratione studiis incumbere, et quomodo juventus nostra optimo philosophicarum disciplinarum jacto fundamento, ad altiora provehi in quovis vitae ordine per sapientiam queat. Non ego sane solus sum qui institutionum primarum defectum crassamque pene ignorantiam defleverim, ex quo fit, ut pulchra quaelibet ingenia haerculeum laborem in assequendis altioribus disciplinis exantlare debeant. Mediocria vero ac inferiora Andabatarum more caecutiant, neque sapientiam consequantur, neque probi, et bene morati cives Reipublicae prosint. Quippe hoc genus hominum, ut ego arbitror, societatis pestis est longe maxima.

Quarum institutionum praemittendarum necessitatem mihi facile suadeo, tum quia ab optima disciplina inchoandum puto, tum quia res difficultatis plena sit, in tanta errorum colluvie, juvenum animos ita ducere, ne in pessum ruant. Si quis enim germanae philosophiae fontes vel ab ephebis attigerit, oppositum vitabit scopulum, qui quanti periculi sit, quamque perniciem intulerit, quam brevissime potero, conficiam; ne actum tanta hujus aetatis librorum mole agere videar. Quae porro philosophiae studendae ratio sit, ut ado-

lescentes Deum colant, virtutem sequantur, patriamque capessant, altera fortassis elucubratione conficiam. Nam omnibus nota illa Baconis sententia est: Philosophiam penitus haustam, ad Deum virtutemque compellere.

Hominem cunctis animantibus praeesse, ex omnium gentium consensu exploratum est; siquidem et consequentia cernit, principia et causas rerum videt, earumque progressus, et quasi antecessiones inquirit, et rebus visibilibus adjungit, atque nectit res invisibiles. Cujus praeclari exercitii si causam quaeras, in mentis efficacia atque energia repositam esse nullo negotio probabis; quae, veterum Sapientum voto, cum Diis immortalibus communis est, quamque Religionis nostrae volumina participationem Divinae Naturae vocant. Quae tamen ab nativitate obumbrata ac tenebrosa plane est, ac veluti tabula, supra quam nihil sit scriptum, existere Aristoteles docuit, vel ut Plato maluit idearum semina apud animum rationalem inclusa quodam modo esse, quae studio, ac rationis exercitatione generentur, ac in lucem prodeant. Seu vero aquisitae, vel innatae, ut inquiunt, ideae sint, hoc certum exploratumque experientia est, penitus barbaros homines fuisse, qui Sapientiae luce caruere. Nullus enim ad morum humanitatem aditus patet, nisi diuturna ad scientiam consequendam exercitatio praecesserit, ac beatas evadere Respublicas, quae a sapientibus et doctis Viris reguntur.

Hoc namque pacto natio quaelibet a faeritate ad mansuetudinem per philosophiae lumen progressa est. Imo quotumquodque fuit populorum iter ad cunctorum civium ordinum felicitatem capessendam, totum animi caeterarumque rationalium proprietatum examen demonstravit. Luculentissimum adserti argumentum Graeco-

rum natio suppeditat, quae imbecillam, obscuramque habet originem, per gradus vero pergit, atque ab scholae Mechanicae primordiis ad Platonicam Synthesim, atque universalitatem supergressa est; sicut ab immanibus Draconis legibus, Pericleum saeculum Athenienses attigere. Praeclare clemens Alexandrinus in libro Strhomateon Sexto, philosophiam Graecis a Deo veluti proprium testamentum esse datum.

Hinc populus iste longe sapientissimus duplicem hujus scientiae scopum consequutus est, quantum consequi finitae mortalium naturae conceditur, nempe et puriorem caeteris nationibus (judaicam semper excipio) de Dei natura perfectioneque notitiam, et se ipsum justa Delphicae Pithiae oraculum novit, idest cujusque civis erga Rempublicam officia explorata habuit.

Obversantur vero in humanarum rerum cursu atque explicatione quaedam impedimenta, quorum alia in ipso contingentium ac finitorum limite sita sunt, alia ex adverso ab nimia curiositatis vel novitatis libidine exoriuntur. Frustra prius illud exsufflares, idem enim esset, ut veteres ajebant, *ac bellare cum Diis* nempe naturae repugnare: postremum vero ab rationis abusu, et dolo veluti malo originem ducit; quod sane longe periculosum est. De utroque autem disserere animus est, ac ea, quae propediem adducturi sumus, non modicam afferenda esse lucem existimo.

Itaque et mediorum futilitas, rationis imbecillitas quae omnia scire nequit, et multa quae sciri possent ignorat, tum ex limitatione cum ex praeconceptione, tum denique obscuritate ac ignorantia, nobis post primum facinus superimposita, in causa sunt, ut veritatem quodammodo dimidiatam, ac falsum pro vero com-

plectamur. Cujus adserti evidentiam tam veteres quam Neoterici scholarum Principes probant, qui falsa absurdaque plurima veris altissimis mixta docuere. Nam Plato, qui, quantum humanae rationi datum est, de Deo, ac de virtutibus praeclarissime disseruit, quique Deus a Tullio vocatus est, idearum tamen, vel si placet formarum, ab Deo, quem Patrem supremum vocabat, emanationem probavit, quippe particulae quaedam Divinae Naturae sint, quod Dei ac animorum simplicitati adversatur. In hunc scopulum Aristoteles, *mens* ab Platone Magistro vocatus, qui tot jam abhinc saeculis philosophi cognomentum assequutus est, nedum materiei aeternitatem, sed et animos nostros ingenitos esse ac aeternos credidit; idem enim ingenitum, ac aeternum justa Stagiritam sonat. Hoc denique imbecillitatis fatum magnus ille Leibnitius subiit, multique alii clari nominis philosophi, quorum nomina et opiniones, quae apud vulgus philosophorum nota sunt, silentio praetereo, ne nimis in longum vagetur oratio, neque actum agere, vel ligna in sylvam ferre videar.

Sed alia erroris causa animi pravitatem et quamdam veritatis satietatem praesefert, per quam tot luculentissima respuit, ac contra honestissima quaeque debacchatur. Hoc rationis vitio, atque aegritudine, non specie veri homo decipitur, sed dolo malo rationis obtutum atque consensum veritati negat, et pernegat, nullumque non movet lapidem, ut imprudentes, ac imperitos in errorem praecipites trahat. Cujus perniciei si rationem quaeras, tum in rationis abusu cum in populorum senectute quadam, ac pene, ut ita loquar, morte sita est. Nam cum natio quaelibet, ut quisque mortalium adoleverit, virtute Majorum obliterata, Re-

ligionis legumque nervis laxatis, omnia susque deque miscet. Horum nebulonum, quos perbelle sophistas Graeci vocavere, magna caterva extitit extatque, de quibus Socrates in Phaedro loquutus est. In Mysteriis, ait, multi quidem sunt qui gestant ferulam, pauci vero Bacchi. Magnificum sane proverbium, et magno viro ac sapiente dignum, quo docemur multos utique barba et pallio tenus, sed paucos revera fuisse aut esse philosophos; nam sapientiam, juxta ac veritatem sectare Philosopho nihil antiquius esse debet, illum quippe sapientem, quem veracem esse; recte asserueris. Et nullum, teste Tullio, aegrotorum somnium est, quod aliquem inter istos qui barbam, et pallium gestant, propugnatorem non invenerit. In ipso Graecanicae sapientiae culmine extitere quidam qui Deum esse se nescire asseruere, quos hercle concitatae populi Atheniensis tribus diris devovissent, poenaque capitis necassent, nisi magnus ille Pericles exilium mortis vice mutasset. Nonne atomorum per sempiternum tempus et spatium volitantium doctrina, ea aetate grassata est, qua summus ille Socrates pro adserenda ac recte constituenda Dei natura, ac eliminanda populi superstitione veneno occubuit? Nonne turpissima ac scelestissima quaeque facinora, plaudente Epicuri grege, contra vitae integritatem, morumque severitatem, ab eodem Socrate tanto conamine constitutam, noviter ad veteris virtutis enervationem inducta sunt, quibus Graecia universa prius intestinis dissidiis bellisque civilibus sauciata, demum Philippi atque Alexandri facilis praeda extitit?

Itaque cum nihil sub sole novum sit, eo demum mortales vertente saeculorum rota vertuntur, quo

iter arripuere, vel quo stadio limitem posuere. Ideo quae novitatis lubido veterem philosophiam corrupit, ea in praesenti est, longeque vitiosior; quippe illi homines quidquid per rationem sibi relictam erat cognoscendum, velis equisque adgressi, et propemodum consequuti sunt, isti vero et veterum sapientia edocti luculentaque Evangelii luce illustrati, nihilo tamen secius in meridiana luce caecutire volunt. Saltem porro errores novos obtruderent; at risum movent cum vetustissima somnia horrendis ambagibus miscent, quas me non intelligere puderet, si ipsi intelligerent quae docent.

De quibus loqui mihi in praesenti cordi est, nam eo clades ac distorta philosophorum placita pervenere, ut de Religione majorum nostrorum, de Reipublicae incolumitate, deque ipso sensu communi mortalium actum sit, nisi provideant homines docti, juxta ac religiosi, ne aliquid detrimenti societas capiat. Etenim cum ratio philosophandi cuique scientiae connectatur, apertum est, omnes demum tum civiles tum religiosas disciplinas apud patriam nostram depravandas esse, sicut in nobilissimis Europae regionibus depravatae sunt.

Quia vero, ut ajebam, res negotii plena est, non segniter, aut per socordiam pertractanda mihi videtur, sed solertissime investigandum quibus auctoribus philosophia haec teterrima parta sit, quae incrementa susceperit, quos in praesenti propugnatores habeat; quibus totus quantus est divinarum, atque humanarum rerum ordo miscetur, atque confunditur.

Nova certe vobis, qui sapientissimi estis, adducere me non credam, si fidenter asseruero, primordia vesanae hujus philosophiae apud religiosas saeculi decimi sexti Novitates reperiri. Istas siquidem recte per-

duellionem rationis contra Deum optimum maximum, Verbique divini auctoritatem majestatemque nuncupaveris. Quod namque veteribus mysteria palam facere aut majorum fas externis novitatibus miscere capitale fuit, hoc tamquam vanissimum gerraeque, ut ajunt, Siculae, ab Novatoribus creditum est, homines flagitiosi, qui Reformationem adgressi sunt, non ut prava quaelibet, vel vitiosa, ad id quod rectum sanctumque legibus est ordinarent, siquidem et vis nominis hujus *Reformatio* sibi vult; Sed immissis habenis ad morum licentiam ac corruptelam gregales impulerunt. Quamvis Deum optimum maximum ac Verbum ejus se colere dixerint, tamen, et Deum Verbumque ejus superbo effrontique animo rationi subjecere. Quos ego homines ne ratione quidem usos fuisse existimo, tantum absurdissima sunt quae docuere, quamvis nihil quod ratione probatum non esset, tamquam pro Sacramenti religione se docere testati sint.

Ego vero nolim nimis in longum orationem producere, quam per singula sycophantarum istorum paradoxa ducerem adsertique veritatem constituerem, eo vel maxime quo viri doctissimi ex nostris, Joannes Benignus Bossuetus libro adversum novos doctores, ac doctorum propugnatorem Basnagium edito, atque nuperrime Fridericus Moehcler, *Symbolico*, reformatorum placita ab ipsa ratione conclamata esse absque provocatione demonstraverint.

Verum haec tristia commemorans funestam Italiae nostrae novitatis hujus victoriam tribuam. Quidquid vel Martinus Lutherus, vel Joannes Calvinus, vel Zuinglius sexcentique alii, adversum majorum nostrorum fidem adgressi sunt, totum in Fausti, Leliique Socini syste-

ma, in fratrum Polonorum Bibliotheca explanato abiit, ad haec Hugonis Grotii, Joannis Leclerckii, Arminiique critices, eaque doctrina quae Remonstrantium vocata est. Nullus, quod norim, aetate nostra inter Lutheri vel Calvini populares primipilorum placita, sectatur; sed *Socinianismum*, idest rationalismum, et quod pejus est Pantheismum profitetur. Ita quae grassatur clades apud Europam pene universam, ab rationalismo Sociniano, praveque Religione intellecta, ac ab pessima philosophandi methodo originem ducit. Haec digito veluti innuere debui, ut ea quae mox dicturus sum clara fiant.

Cum vero facile inventis addere sit, facile item fuit, pernegata, et distorta Dei auctoritate, philosophi alicujus vel longe doctissimi magisterium labefactare. Nullus vestrum ignorare arbitror majores nostros ab Aristotelis cathegoriis et praedicamentis, ut inquiunt, conclusiones deduxisse. Hinc nedum apud Theologiam per scholasticos haec philosophemata redundabant, verum quod sane ridiculum est, scientiae, quae experimentis confirmantur, uno vel altero Stagiritae postulato pertractabantur. Sic si ferri attractionem per magnetem experientia confirmare studuisses, hujus scholae discipulus rei evidentiam negasset, quia inquit philosophus (idest Aristoteles) *non datur actio in distans*. Ego vero hic disceptare nolo, utrum multa, quae maximo huic philosopho adstipulantur, revera genuinum Aristotelis opus existant, aut potius ex Mauritania expositorum commenta sint. Hanc vero philosophandi methodum, seu Arabum, ignorantiam, ab scholis esse tollendam viri doctissimi Melchior Canus, et Erasmus Rotherodamus, quamquam neque eadem desiderii rectitudine, vel iisdem moti rationibus quaesivere.

Quod ab Carthesio completum est celebri omnibus cognito adagio: *cogito ergo sum*. Non ergo gallus philosophus ab veteri schola principia axiomata scientiaeque fundamenta mutuavit, (siquidem haec universalia sunt, ac credi ab tirone debent; cum addiscentem oporteat credere juxta tritum adagium) sed ab nobis nostraque mente ac cogitatione, qua nullum, docente D. Thoma Aquinate, anterius principium extat. Quo constituto sponte fluit, nedum ab cogitatione veritatum omnium, quas methaphisicas ac psycologicas vocant, demonstrationem pendere; verum et methodus ipsa, qua per analysim, id quod primum est, pertractatur. Nolim meum de hoc systemate judicium exponere, cum suum jam vir doctissimus inter Chartesianos Daniel Huetius exposuerit in libro contra magistrum typis cuso. Certe si calculum Neoterici inter nostrates egregii philosophi attenditur, in multis peccavit Chartesius, longeque exitialem catholico Dogmati errorem docuit; quippe qui nedum certa atque explorata in dubium vocavit, sed arma rationi, contra principia lege Naturae constituta suppeditavit. Quid, quod neque systematis nomine dignum est, cum pro vero quodam absoluto cujuslibet scientiae fundamento, cogitationem idest actum concretum ponat; ex adverso vero actus ipse per altius atque universalius postulatum firmandus sit. Hactenus ille. Caeterum si magnus hic philosophus peccavit, imprudens, ut arbitror, in scopulum cecidit. Homo etenim longe religiosus fuit, et de scientiis naturalibus praesertim de mathesi optime meritus. Fortasse non vidit absurda, quae profani homines quamvis docti magnique ingenii ex hisce placitis deducturi essent.

Et re quidem vera non meum, sed Sapientum ju-

dicium, est Benedictum Spinosam extrema ab supra exposito postulato consectaria deduxisse, in tractatu theologico politico, quo substantiae cujusdam universalis, quam Deum vocat, quam infinitam, absque limitatione extensam, cogitantem adstruit. Hanc si dixeris gaudere omnibus Entis perfectissimi proprietatibus, ultro concedet; at *desinit in piscem mulier formosa superne*. Haec etenim infinita est, sed contingentibus atque finitis tamquam modis circumscripta, omnipotens item, sed legibus Naturae adamantinis subjecta. Quippe haec natura Deus ipse est, quae sibi statuta quaedam ferrea posuit, ultra quae transilire, ut ita loquar, potis haud sit. Est uno verbo Deus hic Spinosae, magnum illud veterum philosophorum animal, magno corpore magnoque spiritu coalescens.

Hic ex judaeo christianus homo, semper vero atheus, pater Neoterici Pantheismi habendus est, qui theogoniam, ac cosmogoniam Brachmanicam apud libros sacros, idest Vedas, expositam, graecorum item de Deo universo, seu anima mundi, quorumdam denique medii aevi Novatorum paralogismos in ordinatum philosophiae corpus congessit. Hinc qua data porta catervatim ruere, viri quidem docti acerrimique ingenii, at parum majorum institutis haerentes, qui jam ab ephebis erroribus Protestantium innutriti, rationem supra omnia esse arbitrati sunt. Inter quos tristem celebritatem adepti sunt Emmanuel Kantius, qui pessime de religione, ac philosophia meritus est in libro, cui rationis purae criticen nomen posuit, cum altero de religione intra limites rationis. Vir profecto eximius at ingenio malo pravoque, siquidem contra Deum optimum maximum, contra cognitionum nostrarum certitu-

dinem, contra majorum nostrorum jus fasque debacchatur. Huic adstipulatur Ficthius, qui perfracte rerum seu objectorum externorum existentiam negavit; non enim existunt, sed mentis actione creantur. Creatur item Deus a nobis cum de illa suprema omnium causa mens nostra cogitat. Impossibile sane quod tale monstrum crederetur, nisi expresse in auditorum fraequentia se altera die Deum creaturum promisisset. At veluti Salmoneus, ille qui non imitabile fulmen sceleratis manibus agitabat, ejus quem se creaturum blasphemabat vindicta percussus morte ex teterrimo illo Asiae morbo occubuit. Studeamus *moniti discere justitiam, et non temnere Divos:* hoc non christiani hominis, vel monachi, ut inquiunt, aut mulierculae, sed gentilis poetae effatum est.

Exinde hujus philosophiae deliramenta, ac hominum arrogantia cordati cujuslibet expectationem vicit. Nam Scellinghius absolutum, ut ajebat, rerum, atque scientiae principium esse docuit. Quod placitum Platonicam, et Augustinianam doctrinam redolere videretur, nisi per absolutum Naturam omniaque finita quae Deus sunt philosophus intelligeret. Nulla penitus objecti subjectique differentia attenditur, vel si qua est, quantitatis vocabat, utpote quae magis vel minus absolutum, idest Deum, repraesentat. Hisce demum opinionum monstris coronidem imposuit Heghellius, qui nedum Dei personalitatem inficiatus est, sed et divinae Naturae proprietates, humanitati, scilicet Naturae nostrae adstipulavit. Deum pro diversis saeculorum stadiis primordiis, incremento, perfectionique subjici; imo indefinitum nihilum *ad deveniendum* aliquid. Sacra etenim istius philosophiae vox est.

Moralia vero et quae Religionis sunt quomodo ab Mystis hisce ac Amphitionibus urbe et agro exterminata sint, pulchrum arbitror silentio praeterire. Solum exponam nullum per eos boni vel mali, justi aut injusti, vitii virtutisque discrimen existere, aeque integrum vita, aut facinoribus coopertum laude dignos esse. Sic eadem mortalium existimatione Nero, Caligula, Marcus Aurelius, Trajanus prosequendi sunt. Haec sequitur moralis philosophia: ab ea quae absoluti est, quae Deum creat, quaeque idem, ut vetus adagium fert, cum *antro scarabaei* esse adstruit: ab ea quae falsum veritatem inchoatam, malum vero dimidiatum bonum esse adserit.

Religio item per istos nulla est, si nominis naturaeque vim teneas. Siquidem majores nostri religionem ab ligando et subijciendo homine vocavere. Qui famulatus Deo porro erit, qui neque persona est, neque altioris Naturae quam nostra sit? imo cum nostra confunditur? Ideo cultus, qui actus religionis est, Deo tribuitur ex creatione, aliisque per dies beneficiis? Porro neque creatio, neque beneficia attendi possunt. Multi praesentis aetatis viri docti Neotericorum religionem personatam idololatriam vocavere, ego vero effrenem, effrontemque atheismum definire mallem ac titaneum illud bellum adversum Jovem repraesentare. Profecto quidquid tamquam divinum tenent homines, ac reapse est; ut veteris novique foederis commata, libros esse absurditatibus ac mytis refertos, fabulis Brachmanicis, Esiodique Theogoniae comparandos, et Christum ipsum mythum esse. Proh facinus! id est humanitatis per moralem ad meliora processus. At sat retulisse blasphemias!

Huc tandem devenimus, Sodales sapientissimi, ut vobis exploratum est, ut, quid futurum non dicam de religione, sed de republica sit, nullus quamvis Cato esset vel suspicari posset. Certe si vera Venusinus exposuit, patres nefarii progeniem vitiosiorem dabunt: tales extituri sunt homines ut melius inter exquimales veteresque Mexicanos quam in medio Europae ac saeculi istius, si superis placet, luce, vita ducenda esset: quamquam et Europa nostra humanitate et saeculum nostrum philosophia caeteris praestare obganniant. Quid reliqui nobis aut nepotibus nostris erit, cum publice latifundiorum, ac divitiarum proprietatem, industria nostra, et majorum nostrorum commerciis, vel sobrietate partam, furtum esse perfricta fronte blaterant; pauperes ad rapinam, ignorantes ac rude vulgus contra sapientes et probatos cives, omnes denique contra jus fasque internecione dimicare compellunt!

Quae longe pessima adduxit haec philosophandi ratio. Nulla etenim est plurimorum mortalium fides. Non de ea loquar, quae in Deum est, sed de ea, quae dicitur esse in societatem bene probeque moratam.

Porro in tanta rerum perturbatione animum meum erigo cum videam turbulentam hanc novitatum congeriem singulari quadam Dei opitulatione per patriam nostram vel nihil, vel parum certe grassari. Quod et Dei optimi maximi, ut ajebam, beneficio, nostraeque ad rectam philosophiam dispositioni tribuendum est. Quippe tales sumus, qui cimmerias istas tenebras, umbram pro luce, phantasmata pro corporibus haud sequimur. At prava ista hactenus memorata ruinam nobis, ac nepotibus nostris adlatura sunt; cum malum, et novitas dogmatum fortius bono ac vetustate mortales trahat; nisi

confertim, ac veluti testudine facta adversum minitantem perniciem dimicemus.

Quod obtineri nequit, nisi germanum philosophiae studium, quod caeterorum caput est et fundamentum, sequatur, eliminatis quae adversum religionis patriaeque utilitatem noviter sunt adinventa. Novi plurimos apud Italiam nostram, qui sapientum nomen sibi vindicant, scholam anteacti saeculi analiticam, et enciclopedicam sequi, quae sicuti nullum clari nominis philosophum protulit, plures ex adverso mediocres; non ea mediocritate, quae aurea ab Horatio vocata est; sed ea, de qua loquutus est Verulamius, quae ab Deo probitateque abducit. In memoriam revocemus errorum monstra hujus nostrae aetatis ab hac schola fluxisse, et quamvis paucissimi ex nostratibus sint qui Pantheismum, aut quidquam externarum scholarum profiteantur; more tamen Deistarum sancta quaeque, atque gravissima risu excipiunt! Quod sicuti scientiae atque philosophiae paupertatem, ita animi ingeniique pravitatem argumentatur. Pudeat nos imitatores externorum ac servum pecus esse! Patria nostra non discipulatum, sed magisterium exercere debet, siquidem majores nostri, cum totus pene orbis ignorantia obrutus esset, sapientiae lucem quaquaversum effuderunt. Non is sane sum qui hujus aetatis sapientum elucubrationes parvipendam, aut parcus istorum cultor existam. Verum si ab Neotericorum libris demas quod vetus est, nihil, aut certe parum manet. Quod, ne temere a me jactatum quis credat, exemplis plurimorum magni nominis confirmare possem; nisi vobis, doctissimi Sodales, ex solerti novorum doctorum cum veteribus comparatione compertum esset. Addam porro neque erroris novitate Neophilosophos

praestare; etenim non prius audita, sed vetera Phoenicum, Ægyptiorum, Chaldaeorum Viasae, Zoroastris commenta nobis obtrudunt. Sunt uno verbo, ut Christi comparatione utar novi panniculi, vestibus obsoletis, disruptis, pannosis adsuti. Nos, qui nepotes sumus, majorum instituta sequamur; qui et religiosi, et doctissimi, probique cives extitere. Turpissimum sane esset, Thomae Aquinatis, Galilei, Vici, Marsilii Ficini, Genuensis cives, quorum nomina, et gloria sempiterna sunt, ab Lochii, Voltairii, Condillachii vel Neopantheistarum ore pendere! De magnis philosophis nostris silebo, qui hac tempestate aut principatum tenent, aut certe nulli secundi sunt. Ad istos adeundos, ac diurna nocturnaque manu versandos vos, optime spei Adolescentes, extremis hisce verbis compellam, si veram sapientiam consequi vultis. *Hoc opus hoc studium parvi properemus et ampli, si patriae volumus, si nobis vivere cari.*
